de quibus hic est sermo quia et supradictum fuit in infinitum. Sic et plerique doctores in illa materia scribentes dicunt. Sed dico quod in descendentibus hoc sit in infinitum. Cum tamen in collateralibus nimine ita sit. Immo ibi post fratrum filios quilibet propinquior quemlibet uno tantum gradu remotiorem sic pluribus remotiorem excludit ut infra loco suo patebit. Responsio quia descendentes quantumcumque remoti sint traxerunt suum sanguinem a suo ascendente. Ergo non debent eius hereditate privari. cum sint sui heredes. Aliud in collateralibus. ubi neuter suum sanguinem ab alio traxit. Et tantum de descendentibus et per consequens de prima parte tractatus;

Nunc in hac secunda parte huius tractatus videndum est de ascendentium successione quomodo aut quando ipsi ad descendentium hereditatem vocentur. Ubi primo notandum est quod licet in hac secunda parte tractatus principaliter et proprie de ascendentium successione agendum sit mixte ordine premissum. non tamen potest de eis solis hic haberi mentio. cum non nulli collaterales ut fratres defuncti sive eorumque filii cum ascendentibus succedant ut infra dicetur. Ideo de eis oportet et hic fieri mentionem. quia cum prima pars tractatus sit de solis descendentibus et tertia fiat de solis collateralibus. non tamen potuit hec secunda pars omnino et totaliter de solis ascendentibus esse. Ulterius advertendum quod ascendentes non succedunt nisi cum defunctus nullum dereliquit descendentem. ut patet ex supradictis. Cum ergo defuncto aliquo non existant descendentes ut iam merito veniant ascendentes si sint. Tunc aut supersunt pater et mater ambo aut alter tantum. aut neuter eorum. sed ulteriores ascendentes huius distinctionis membra per ordinem prosequendo.

Et primo dico quod si ambo supersunt certum est et planum quod nullus ulterior ascendentium succedit ex quo proximiores inter omnes supersunt. Sed tunc videndum est. si cum patre et matre supersint et fratres defuncti aut filii fratrum aut nullus talis. Si nullus talis. planum est quod pater et mater soli succedunt seclusis nedum ascendentibus aliis. ut dictum est. sed et cunctis collateralibus aliis. patet hoc in auth. de here. ab intesta. § consequens. ubi sic dicitur. De parentibus omnibus ex latere cognatis hos preponi sancimus. Subdit exceptionem aliquorum collateralium si supersint. exceptis